

decimas, terras, villas, possessiones, vineas, molendina, nemora, redditus, iura, iurisdictiones^{a)} et quedam alia bona dicti monasterii datis super hoc litteris, interpositis iuramentis, factis renuntiationibus et penis adiectis in gravem ipsius monasterii lesionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui litteras confirmationis in forma communi super hiis a sede apostolica impetrasse dicuntur. Quia vero nostra interest lesi monasteriis subvenire^{b)}, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius monasterii per concessionem huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, iuramentis, renuntiationibus, penis et confirmationibus supradictis ad ius et proprietatem eiusdem monasterii ^{c)}studeas legitime revocare^{c)}, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Viterbii non. septembris pontificatus nostri anno primo.

(II) Nicolaus episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri . . episcopo Merseburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii de Buch Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis precibus inclinati presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus ea, que de bonis ipsius monasterii alienata inveneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem monasterii ^{d)}legitime revocare procures^{d)}, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Viterbii non. septembris pontificatus nostri anno primo.

126.

Papst Nikolaus III. beauftragt den Bischof von Merseburg, den zwischen dem Abt und dem Konvent des Zisterzienserklosters Buch sowie dem Ritter Bernhard von Strehla (?) über Schuldigkeiten, Besitzungen und andere Dinge ausgebrochenen Streit zu untersuchen und zu entscheiden.

1278 September 13, Viterbo

Original: Dresden, HStA, 10001, Ältere Urkunden, OU. 923 (A), seit 1951 verschollen — Provenienz: Buch, Zisterzienserkloster — littera (cum filo canapis) — Besiegung: Bleibulle Papst Nikolaus' III. (an Hanfschnur).

Register: —

Edition: —

125. a) Die Reihenfolge der hier aufgezählten Besitzungen, Einkünfte und Rechte variiert gelegentlich, auch können einige Güter (z. B. prata, pascua etc.) hinzutreten, andere wiederum wegfallen.
 b) Oder: Cum igitur nostra intersit lesi monasteriis subvenire bzw. Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere.
 c) Oder: legitime revocare procures.
 d) Oder: studeas legitime revocare.